

tentionaliter constituens sacramentum in ratione completa et efficaci instrumenti, concedo antecedens; virtus quæ ex susceptione sacramenti relinquitur in suscipiente, quæ est virtus elevabilis, et sic sacramentalis, non elevata, seu determinatio ejus sacramentalis, nego; et prima non manet, neque communicata fuit nisi inchoative sacramento informi; secunda vero relicta fuit ab eo, et in ejus virtute sacramentum potest operari. Prima autem virtus non permanentur datur, sed transeuntur, et intentionaliter, nec relinquitur ex susceptione sacramenti, sed ei a Deo agente imprimitur.

CCLXXI. Et si iterum dicas: Nam Deus supplere potest distinctionem loci in causis: ergo et distinctionem temporis, respondetur negando consequentiam, nam distinctio loci est conditio extrinseca agenti, pertinens ad ejus applicationem ad agendum: distinctio vero temporis est conditio intrinseca pertinens ad actualitatem formæ.

CCLXXII. Ad primam confirmationem respondetur, illam susceptionem, et affectum ad sacramentum habere duplicem rationem; uno modo secundum quod est actio regulabilis a religione, et ab ipsa elicitæ; alio modo ut est voluntaria susceptio sacramenti, abstrahendo a modo debitæ, vel indebitæ susceptionis, sicut dicit D. Thomas de caractere, quod non datur ad bene vel male utendum sacramentis determinate, sed ad utendum absolute: sic ergo illa actio, quatenus est indebita susceptio, tollitur ut sacramentum operetur, per hoc quod debita dispositio ponitur; quatenus autem est susceptio sacramentalis, per contactum suum in intellectu mediante actu fidei sic operatur in virtute ejus recedente indebita dispositione; et hæc modificatio con-

tactus semper cadit super aliquam determinationem passivam relictam in anima, seu in intellectu, quæ homo se determinavit vel implicite vel explicite ad suscipienda sacramenta, vel hoc sacramentum. Quod si ista determinatio corrumpitur, quatenus se habet ut dispositio vel habitus, non tamen corrumpitur prout est determinatio characteris. Character enim indelebiliter est determinatus ad sacramenta valide suscipienda, unde modificat actus quibus homo ad sacramenta se determinat, et ex talibus actibus relinquitur etiam actu, vel virtualiter determinatus character, non per habitum sibi superadditum, sed per modificationem, quia character non habet producere actus, sed modificare; et ista modificatio est etiam perpetua, quia non est a quo corrumpatur; si autem aliquis nullum habuit actum, modificat sacramentalis susceptio ipsos habitus, vel characterem, et cadit super determinationem habituales, et non virtuales.

CCLXXIII. Quod autem dicitur, passionem Christi non applicari nisi sacramento, concedimus hoc verum esse, sed sicut applicatur sacramento suscepto, non autem sacramento ut sic, ita et susceptioni ejus, in qua virtualiter sacramentum manet; totum enim id pertinet ad sacramentum, et sic agendo per illam virtutem et determinationem agit per sacramentum.

CCLXXIV. Ad secundam confirmationem respondetur, quod illa actio, ut procedit irreligiose a suscipiente, nunquam vivificatur; ut autem modificatur a sacramento, ut a quodam instrumento Christi ex opere operato ejus, sic recedente in dispositione operatur, et sic dat vitam sibi subjecto.

CCLXXV. Ad tertiam confirmationem dicitur, quod ratio quare sa-

cramenta operantur recedente fictione, non fundatur solum in necessitate talis sacramenti, sed in natura sacramentorum, quæ sunt causæ physicæ gratiæ, et applicatæ simul subjecto, si impediatur a suo effectu, oportet accedente fictione illum habere, et hoc universaliter currit de omnibus sacramentis.

CCLXXVI. Et præterea, quia si in aliquo sacramento sufficienter remanet in subjecto, cui semel applicatum est, ut recedente fictione possit operari, quidni et in aliis, quæ sunt similiter causæ gratiæ, remanebit itidem in subjecto sufficienter, ut recedente impedimento operentur? Necessitas enim illorum aliquid extrinsecum est, et veluti ratio finalis in aliquibus sacramentis; ratio autem propria et quasi intrinseca est, quod virtualiter in subjecto manent, dum impediuntur, quæ ratio in omnibus currit, etsi tanta necessitas desit.

CCLXXVII. Præterquam quod in omnibus necessitas intervenit, nam eucharistia, quæ magis iterabilis est, cum sit necessaria decedentibus, quia si aliquis fecte illam suscepit, et postea copiam non habeat eam sumendi, sed tamen conteratur, aut confiteatur, oportebit fructu eucharistiæ non carere, et simile quid in confessione informi. Reliqua autem sacramenta, aut simpliciter, aut pro aliquo statu non sunt iterabilia, et ita oportet non fraudari effectu suo.

DUBIUM SEPTIMUM.

UTRUM SIT POSSIBILE QUOD RES CORPORALIS, SICUT SACRAMENTUM, SIT PHYSICUM INSTRUMENTUM PRODUCTIONIS GRATIÆ?

Conclusio est affirmativa.

CCLXXVIII. Pro cujus intelligentia notandum est in conclusione

duas involvi quæstiones, quas seorsum oportet tractari. Prima, de productione instrumenti, quantum ad substantiam, an scilicet possit instrumentum aliquod attingere substantiam ipsam gratiæ, vel solum unionem ejus ad subjectum, aut dispositionem aliquam ex parte subjecti ad gratiam: secunda est de productione instrumenti, quantum ad modum, an scilicet recipiendo præviam motionem a causa principali, et etiam in se aliquam habendo operationem propriam, vel alio modo.

INSTRUMENTUM CORPORALE ATTINGIT GRATIAM IN SE, ET NON SOLUM UNIONEM.

CCLXXIX. Et quantum ad primum dicimus, quod bene potest per instrumentum aliquod attingi gratia, et spiritualis qualitas in se, et non solum unionem ejus aut dispositionem attingendo, ut volunt aliqui fundati in D. Thoma in iv, dist. i, quæst. i, art. iv, quæstiuncula prima ubi clare dicit: « Quod instrumentum gratiæ, etiam instrumentaliter non pertingit ad ipsam justificationem, seu ad ultimum effectum, quod est gratia, sed solum ad aliquam dispositionem, quæ est necessaria ad ipsam gratiæ susceptionem: » et idem aperte asserit in distinctione viii, quæst. i, art. iii ad quintum, ubi ait: « Quod virtus agentis principalis respicit principaliter terminum ad quem, sed virtus causæ instrumentalis non attingit ad terminum ad quem, sed habet operationem suam in his, quæ sunt circa terminum a quo, sicut qualitates activæ elementales non attingunt ad animæ rationalis introductionem: » et idem ait in quarto ad Annibaldum, distinct. i, quæst. i, art. iv dicens: « Quod in-

strumenta non causant gratiam influendo, sed disponendo. »

CCLXXX. Neque dici potest, quod in his locis loquitur S. Thomas de operatione sacramenti secundum propriam formam, non autem de operatione sibi communicata a principali agente: hoc, inquam, dici nequit; tum, quia in quarto sententiarum, distinctione citata expresse distinguit ista duo, et de operatione instrumentali, ut instrumentalis est, dicit terminari ad dispositionem, non ad gratiam; tum, quia secundum propriam operationem influendo operantur instrumenta, et non disponendo, si quidem operantur per propriam formam; unde si negat S. Thomas, quod operantur influendo, loquitur de instrumentis secundum operationem sibi communicatam a principali agente: nam secundum sibi propriam certum est influere.

CCLXXXI. At vero alii, quia putant gratiam creari, et non educi de potentia subjecti, censent sacramenta non esse instrumenta attingentia ipsam gratiam in ratione qualitatis et entitatis; attingere tamen unionem ejus ad subjectum, et hoc quod est hominem esse gratum; sicut homo per generationem non attingit entitatem animæ rationalis, et ejus esse, sed communicationem ejus cum corpore; sic existimant attingi per sacramenta unionem gratiæ ad animam, non autem produci per sacramenta ipsam entitatem, et esse gratiæ.

CCLXXXII. Omittimus enim modum explicandi hanc sententiam, quod scilicet sine productione aut unione alicujus qualitatis, quia scilicet esse Deo gratum sine qualitate intelligi potest per hoc quod anima sit Deo dilecta et amica. Hic enim modus justificandi sine qualitate infusa et inhærente, reprobatus est in Concilio Tridentino, ses-

sione VI, canone XI, præterquam quod nequit intelligi physicum instrumentum, et physica causalitas circa gratitudinem extrinsecam animæ, seu circa gratitudinem, quæ non consistat in intrinseca immutatione, sed in extrinseca acceptatione Dei, cum ad hanc extrinsecam acceptationem nulla possit causalitas physica pertingere; tum, ut tenet se ex parte Dei, quia est quid increatum; tum, prout tenet se ex parte hominis, quia si nihil intrinsecum in eo ponit, extrinsecum quid est, et non attingit actione physica, sicut neque quælibet alia extrinseca denominatio.

CCLXXXIII. Igitur uterque modus explicandi causalitatem physicam circa gratiam probandus non est, sed asserendum, quod per instrumentalem actionem producitur in entitate, et esse gratiæ; et pro fundamento hujus duo attendenda sunt. Primum, quod gratia non creatur, proprie loquendo de creatione; secundum, quod potest actio instrumentalis alicujus creaturæ, etiam corporalis, attingere entitatem gratiæ. Primum manifestum est, quia creatio est proprie subjecti subsistentis in esse; quod autem in eo non habet esse, sed in subjecto, proprie non creatur, sed ex subjecto educitur, ut expresse ostendit S. Thomas 1 p. quæst. XLV, art. IV, nam fieri ordinatur ad esse: ergo illius proprie erit fieri, cujus est esse, et ejus erit proprie totaliter fieri, seu ex non præexistente, cujus est proprie totaliter esse, et non dependenter ab aliquo præexistente; cum ergo creari sit quoddam fieri, et non solum quomodo-cumque fieri, sed fieri ex non præexistente, consequenter illi proprie convenit, quod habet esse independentem a subjecto, seu præexistente; hoc autem convenit rei subsistenti solum in se; non vero inhæ-

renti, et pendenti in esse ab alio, quia quod pendet in esse ab alio, pendet a præexistente, et sic non fit ex nihilo.

CCLXXXIV. Ut ergo aliquid fiat creatione aut actione, quæ non pendet a præexistente, impossibile est quod terminetur ad accidens, ut inhærens; gratia autem qualitas est inhærens in anima, et substantia, quia ut definitur in Concilio Tridentino sessione VII, can. XI: « Justificari debent homines gratia et charitate, quæ per Spiritum sanctum diffundatur, et inhæreat in cordibus eorum: » ergo non per gratiam subsistat, et non pendeat a præexistente subjecto, si quidem quod inhæret, a præexistente pendet: ergo non creatur gratia creatione propria. Ex quo sequitur, quod nec accipit a Deo esse in se, et postea unitur subjecto per aliam actionem, sicut in anima rationali contingit, quia hoc esset creari gratiam in se subsistentem, et postea communicari subjecto; ac adeo non esset accidens inhærens, sed substantialis forma in se subsistens.

CCLXXXV. Quod si in se non habet esse ad modum animæ rationalis, sed solum esse dependens a subjecto, sicut reliqua accidentia, manifestum est, quod talis entitas, seu qualitas non recipit per unam actionem esse a Deo, et per aliam unitur subjecto sicut alia accidentia seu formæ a subjecto pendentes, quibus non communicatur per aliam actionem esse, et per aliam unio ad subjectum, si quidem non habent aliud esse quam dependens: ergo ut intelligatur actionem terminari ad talem qualitatem, ponendo illam in esse, debet terminari ad illam in esse dependenter a subjecto, cum non habeat aliter esse; non enim habet illud subsistens, sed dependens: ergo quando attingitur ab actione debet attingi se-

cundum esse dependens: ergo non oportet dari unam actionem quæ terminetur ab esse qualitatis, et aliam qua fiat dependens a subjecto; ac proinde actio attingens qualitatem illam secundum unionem ad subjectum attingit productionem illius entitatis in esse.

CCLXXXVI. Nec obstat, quod ista duo distinguuntur (scilicet entitas formæ accidentalis, et unio ejus) unde et potest unum sine altero conservari; ut quando sine subjecto Deus conservat accidens: ergo distinctis actionibus produci possunt, et sic aliud erit entitas formæ, et aliud unio ejus. Hoc, inquam, non obstat. Nam esto quod distinguerentur entitas formæ et ejus unio, sicut dependentia a re dependente, quæ dependentia relatio est, tamen in ordine ad actionem eductivam non distinguuntur, quia actio eductiva non respicit entitatem nude, sed ut dependentem a subjecto, a quo extrahi debet per illam actionem, unde nulla est actio quæ terminetur præcise ad entitatem, sed cum omnis actio rem ponat in esse, non potest abstrahere a modo ponendi illam in esse pendente, vel independente a subjecto; et ita sicut non est alia actio quæ terminetur ad rem in esse, alia quæ terminetur ad rem in independentia ab alio; sic non est alia actio quæ ponat rem in esse, alia quæ ponat esse unitum, seu dependens a subjecto; sed si actio eductiva est, debet rem cum esse dependente a subjecto producere.

CCLXXXVII. Nec obstat etiam huic actioni productivæ modo non creativo, sed eductivo supernaturalitas illius formæ, aut essentialis dependentia omnis formæ a Deo; ratione enim primi videtur non posse educi e subjecto animæ; ratione vero secundi, oportet prius emanare a Deo in esse, quam ab agente parti-

culari; et ita prius habere esse actionem Dei quam uniri subiecto.

CCLXXXVIII. Quod enim attinet ad supernaturalitatem formarum, constat actus supernaturales, ut visio beatifica, actus charitatis, etc. produci actione eductiva ab anima, et intellectu et voluntate, non autem creari: ergo similiter neque gratia creatur ratione supernaturalis. Quoad dependentiam vero essentialem omnis creaturæ a Deo, constat hanc non poni seorsum a dependentia, quam habent tales creaturæ a particulari agente, quia ut ait D. Thomas I p. q. cv, art. v ad secundum: « Una et eadem actio procedit a primo et secundo agente. »

CCLXXXIX. Unde non est necesse in omni productione creativa intervenire creationem proprie dictam, eo quod intervenit dependentia essentialis a Deo; facit enim Deus a se dependere omnem creationem, etsi non influat in illam per creationem, sed concurrente simul cum creatura, quæ est agens secundum. Unde ex hac dependentia non potest inferri actio Dei in creaturam distinctam ab actione creaturæ; alias enim hoc modo faceret Deus dependere a se creationem, quando postea creatura concurrat, vel simul cum illa Deus concurrat, vel non; si simul, ergo superflue ponitur ante per solum suum concursum attigisse creationem, si quidem postea simul tangit cum creatura: si autem non concurrat postea Deus: ergo aliqua actio erit a creatura sine concursu divino simul tangente effectum, quod est impossibile. Quare non oportet, quod in productione formarum, quæ fit a causis secundis cum essentiali dependentia et subordinatione a Deo ipsæ formæ a Deo procedant per actionem distinctam ab ea, qua procedunt a creatura; et ita Deus attingat earum

entitatem, creatura vero agens unionem.

QUOMODO RES CORPORALIS INSTRUMENTALITER ATTINGAT GRATIAM IN SE; QUO SCILICET INFLUXU, PROPRIO, VEL DEI?

CCXC. Secundum vero (scilicet, quod actio instrumentalis creata potest attingere entitatem gratiæ physico et reali influxu) Suarez tom. III, q. LXII, art. I, disp. I, sectione I, ea ratione probat a priori, quia non repugnat quod Deus faciat unam creaturam pendere ab alia, a qua per se non pendet, nec ex natura sua, eo quod producatur aliqua creatura aliter quam ex natura sua postulat; neque repugnat ut aliqua naturalis potentia aliquid producat ultra suas naturales vires, ut intellectus visionem beatificam, etc. ergo neque repugnat ut creatura aliqua attingat instrumentaliter entitatem gratiæ.

CCXCI. Cæterum si istæ rationes physice considerentur, non videntur ostendere hanc physicam efficientiam et attingentiam, quia quando Deus facit quod pendeat una creatura ab alia, vel facit quod pendeat a creatura ratione influxus in ipsam, et faciendo quod una creatura influat in aliam, et tunc assumit quod probandum est, et hoc investigamus; vel facit quod pendeat ab alia ut sic, non tamen mediante influxu unius in aliam, et hoc ad instrumentum non sufficit, quia si physicum instrumentum, et reale est, influxum physicum in effectum habet: item quia per hoc non videtur tolli quod non possit aliquod instrumentum concurrere ad creandum, nam si ratio instrumenti solum consistit in eo, quod faciat Deus unam creaturam pendere ab alia, nulla apparet implicatio quod

faciat Angelum pendere ab alia creatura, et ita creet Angelum per creaturam ut instrumentum.

CCXCII. Quare ratio a priori hujus influxus physici in effectum ab instrumento, sumenda est ex eo quod perpetuo vocet D. Thomas explicans hujusmodi influxum, quia videlicet virtus principalis agentis communicatur instrumento per modum motionis; et ita sicut pendet effectus ille in entitate sua a virtute divina, ita et ab instrumento virtutem eadem divinam sibi communicatam habente; ex quo fit, quod entitas quæ attingitur a virtute divina etiam per talem communicationem attingatur a virtute instrumenti: ut enim influxus alicujus causæ attingat entitatem alicujus effectus, oportet attendere ad principium et virtutem a qua procedit ille effectus. Si enim est virtus et principium, quod pro objecto habeat ipsam entitatem effectus, et super illam activitatem habeat, utique a tali virtute et principio attingi potest, entitas effectus.

CCXCIII. Cum autem instrumentum non agat per formam sibi propriam, sed per virtutem communicatam a Deo per modum motionis, potest instrumentum actione sua instrumentali attingere talem entitatem, quia procedit a virtute, quæ ex se potest supra entitatem illam, non communicata instrumento per modum formæ, sed per modum motionis. Optime ergo reddit S. Thomas rationem a priori, quare instrumenta attingunt qualitatem ipsam gratiæ, quia videlicet communicatur ipsi instrumento virtus eadem divina, quæ attingit entitatem gratiæ, et hoc per modum motionis, non per modum formæ, sic enim est in instrumento virtus supra entitatem gratiæ utique, et influxus instrumentalis potest in ipsam entitatem gratiæ.

CCXCIV. Quod si quæras, cur eadem virtus divina, quæ potest communicari instrumento ad producendum entitatem gratiæ non potest communicari ad creationem Angeli, respondetur id esse ex repugnantia, quæ est in modo producendi per creationem; non enim solum per creationem producit ens in suo esse et essentia, sed etiam producit ex nullo præsupposito, et sine ulla mutatione; et ita omnis actio immutativa est incompetens et inepta ad creandum: omnis autem actio quæ egreditur ab instrumento, debet esse actio immutativa alicujus, cum sit actio creata, et modificata et determinata. Exit enim ab instrumento secundum quod aliquid virtute propria operatur; nam cum virtus divina communicatur instrumento per modum motionis, et non per modum formæ, quæ illi imprimatur, aut per quam agat, oportet quod motio illa, quæ instrumento communicatur, non solum sit passiva, sed etiam activa in actu secundo.

CCXCV. Si autem ipsum instrumentum non sit in actu secundo per suam actionem, non est capax ut sit in actu secundo per actionem alienam, et motionem ei communicatam; et ita non potest Deus tribuere aliud causæ, ut agat ultra se et propriam virtutem, nisi supponendo quod agat secundum propriam virtutem, et ex motione Dei ultra illam extendatur; et hinc est quod actio quæ procedit a Deo mediante instrumento, non solum habet transire per instrumentum, sed etiam exire ab instrumento, media tamen motione divina. Unde quando exit ab instrumento, oportet quod exeat ita modificata, ut sit actio immutativa, sicut et ipsum instrumentum secundum propriam virtutem agit actione immutativa: de

ratione autem actionis creativæ est ut non sit mutatio, sed circa nihil operetur ens: ergo repugnat ex modo producendi, quem habet talis actio, communicari alicui creaturæ etiam instrumentaliter.

CCXCVI. Quod enim non sit mutatio actio creativa, ostendit D. Thomas I p. q. xli, art. II et III: unde quando D. Thomas dicit: « Quod instrumentum debet dispositive operari ad effectum principalis agentis, » per ly dispositive non intelligit aliquid transiens ad ipsum effectum, aut subjectum ejus, sed aliquid quo disponitur intra se instrumentum, seu sit capax motionis principalis agentis ad effectum, quia non potest illam motionem accipere, nisi aliquid agendo: et hoc patet ex ipso D. Thoma 2-2, quæst. clxxviii, art. I ad primum, ubi inquit: « Quod Deus in faciendis miraculis utitur instrumentaliter vel interiori actu hominis, vel locutione, vel etiam exteriori actu. » Similiter D. Thomas hic III p. q. lvi, articulo primo ad secundum dicit: « Quod sufficit virtualis contactus ad rationem hujus efficientiæ, qua resurrectio Christi causat nostram resurrectionem ex virtute divina, quæ attingit omnia loca et tempora: » constat autem quod exterior actus hominis nihil dispositive emittit circa effectum exteriorem producendum, sed intra manens et operans elevatur a Deo aliquid extra, et ultra se producendum. Igitur ly dispositive in instrumento, solum accipitur a D. Thoma pro ea dispositione, qua fit capax recipiendi divinam motionem, quod instrumentum agat aliquid secundum propriam virtutem, et agendo elevetur ut ultra se agat; nulla autem actione fit creatura capax recipiendi motionem ad creandum, quia creativa actio est sine mutatione, et actio creativa non est immutativa: solum

ergo potest creatura mediante sua actione instrumentaliter deservire ad producendum id quo immutativa actione producibile est, cum non possit exire actio a creatura, nisi ut mutata.

CCXCVII. Ex his patet dari instrumentum physicum ad productionem gratiæ, quoad suam entitatem. Nam producere aliquam dispositionem ad gratiam, præterquam quod nihil tale requiritur, cum gratia sit primum donum inter omnia supernaturalia, æque difficilis redditur illa sententia, quia illa dispositio spiritualis esse debet, et non corporalis: si ergo datur instrumentum producens illam spiritualem dispositionem, cur non spiritualem gratiam; si enim elevatur a Deo, ut producat spiritualem entitatem, cur non et gratiam? Quod ergo attinet ad aliam sententiam, quæ dicebat produci per instrumentum gratiam, non in entitate sua, sed ut unitam subjecto, et secundum unionem ejus ad subjectum, ex dictis manet exclusum, cum impossibile sit produci quoad unionem per unam actionem, et per aliam quoad entitatem; sed si producitur entitas, producitur ut unita et inhærens, et ideo cui communicatur actio producendi unionem, communicatur actio productiva entitatis.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

CCXCVIII. S. Thomas docet instrumentum attingere, gratiæ in se; sed objicies primo, loca illa D. Thomæ supra relata, in quibus aperte dicit non operari instrumentum ipsam gratiam, secundum entitatem suam, sed aliquid prævium ad illam, quam sententiam non apparet D. Thomam alibi retractasse: et ejus ratio est, quia agens principale et instrumentale comparantur

inter se ut agens ministeriale et dispositivum, et principale; sed agens ministeriale nunquam introducit ultimum effectum, sed id reservatur agenti principali: ergo cum gratia sit ultimus effectus justificationis, agens ministeriale illius non attinget ipsam gratiam, sed aliquid ei prævium.

CCXCIX. Et confirmatur, quia quando res inferioris ordinis elevatur ad causandum rem superioris ordinis, non elevatur ad causandum id, quod supremum et excellentissimum est in ordine superiori; tum, quia de extremo non transitur ad extremum nisi per medium; tum, quia agens corporale non attingit animam rationalem, sed solum dispositionem ad introductionem illius: ergo nec sacramentum corporeum elevatur ad causandam ipsam gratiam, sed aliquid sibi prævium.

CCC. Respondetur sententiam illam S. Thomæ ab ipso retractatam esse in summa theologiæ, quod ex tribus locis ejus videtur manifestum. Primo, quia in prima secundæ, quæst. cxii, art. I, inquirens: « Utrum solus Deus sit causa gratiæ, » respondet resolvens: « Quod nulla creatura potest causare gratiam, » ubi clare docet et loquitur de ipsa sanctitate, et non de aliquo prævio ad gratiam. Non enim de hoc prævio diceret, quod est quædam participatio divinæ naturæ; et ideo a solo Deo causata. Loquens ergo ibi de gratia quoad suam entitatem, in primo et secundo argumento objicit de: « Christi Domini humanitate, et de sacramentis, quod sunt causa gratiæ: ergo non solus Deus est causa gratiæ, » et respondet S. Thomas: « Quod humanitas Christi non causat gratiam propria virtute, sed virtute divinitatis; et sacramenta similiter: » ergo censet S. Thomas humanitatem Christi ipsam entitatem gratiæ causare: argumentum enim de ipsa en-

titate gratiæ, de qua dicit solum Deum esse causam, procedebat; ergo si gratiam illam dicit produci, non virtute propria, sed divinitatis, fatetur non aliquid prævium, sed ipsam gratiam produci a sacramentis instrumentaliter.

CCCI. Secundus locus est in tertia parte, quæst. xiii, art. II, ubi dicit: « Quod anima Christi, secundum quod erat instrumentum divinitatis, habuit virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas, excepta creatione et annihilatione: » ergo cum positio gratiæ in anima sit diversa immutatio a positione illius dispositionis, quia comparantur ut effectus medius et ultimus, ad omnes illas habet anima Christi virtutem instrumentalem; et consequenter etiam sacramenta poterunt habere instrumentalem virtutem ad gratiam in se producendam.

CCCII. Tertius locus est, quia in hac quæstione sexagesima prima distinguit S. Thomas effectum principale sacramentorum, qui est gratia ab effectu secundo, qui est character, de quo quæstione sequenti; et de hoc principali effectu dicit: « Quod sacramenta sunt causæ instrumentales, » et explicans articulo secundo, quid sit gratia sacramentalis, dicit: « Eam non distingui a gratia gratum faciente: » ergo censet ipsam, et non solum aliquid dispositivum ad gratiam, ut est character, attingi a sacramentali actione.

CCCIII. Ad rationem respondetur, agens instrumentale et principale, non ratione diversorum effectuum, quos producunt, sed ratione diversi modi attingendi eundem effectum distingui, sicut patet in securi; nam idem quod attingit artifex, attingit securis: sed ille per formam propriam, hæc per applicationem motionis ejus, et quasi deferendo ejus actionem ad effectum: quod est mi-